



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 1. De consecratione Episcopi Paraquariensis controvertitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

HISTORIÆ
PROVINCIAE PARAQUARIÆ
SOCIETATIS JESU
LIBER DECIMUS-QUARTUS.

CAPUT

I.
De obsecra-
tione Epi-
scopi Para-
quariensis
controver-
titur.

1644.

*Cordubensis
Academia
censet non
consecrandū
sine litteris
Apostolicis.*

*Inde ortam
Societatem
Præsulis of-
fensio.*



INTER has res annus millesimus sexcentessimus quadrage-
simus-quartus vertebatur, controversiā de consecratione
Illustrissimi Domini Bernardini de Cardenas Episcopi Para-
quariensis memorabilis: cui in Peruvia versanti Philippi
Quarti Regis Catholici litteræ dudum allatæ fuerant, qui-
bus ad Paraquariensis Ecclesiæ Insulam, si accederent dip-
lomata Summi Pontificis, evhendus nunciabatur. Grata
fuerat electo Præsuli ea honoris exhibitio: angebat tamen
hominem dilatio factorum diplomatum, quibus Summus Pontifex Regis volunta-
tem ratam habere solet, & extra ordinem concedere, ob Insularum in Indiis rari-
tatem, ut electus præter morem ab uno tantum Episcopo consecraretur. Moræ
ergo impatiens, consiliorum suorum vires in id intenderat, utrum scilicet iure ali-
quo sibi liceret prævertere communem ordinem, & in tanto locorum intervallo
Summi Pontificis mentem interpretari. Qua de re ab eo rogata sententiam,
Academia nostra Cordubensis apud Tucumanos docto prudentique scripto re-
sponderat, id neutiquam ex sapientum virorum placitis, aut factorum Conciliorum
Pontificumque decretis, aut Catholicorum usu licere. Sed cæcus ostentati hon-
oris non audiit prudentis consilii habenas. Non expectatis itaque Summi Pon-
tificis litteris, ab uno tantum Episcopo in Episcopum consecratus, ad Paraquariæ
Ecclesiam se contulit, deditque locum ferventissimæ controversiæ, quæ ex par-
tium allisu ignem expromens, per diversa loca scintillas sparsit utrique orbi spe-
ctabiles, & alteri calamo in multos annos calamitosæ historiæ materiam præbituras:
nam ego, ne veritatem inquinem aut offendam, creperi negotii primordia & ve-
xationum radices attingere satis habui; ab earum rerum narratione abstinere
certus, quæ ex his radicibus ortæ per subsequentiâ tempora sese pernicialiter dif-
fuderunt. Quamquam non subterfugiam præcipuas calumnias in medium addu-
cere, quæ hæc occasione ortæ, temporis decursu ad liquidum tandem deductæ sunt:
conducibile enim est universas simul, & sicut inter se coherent, non observatis
temporibus conjungi, ut uno quasi intuitu perspectæ eam omnium animis imprin-
tant opinionem, quam merentur. Postquam ergo se prodidit novi Præsulis offen-
sio, Societatis ofores, repertâ opportunitate, antiquaras calumnias renovare, &
novas non abnucienti obtrudere cæperunt; quarum palmaris fuit auri Urvaicensis
fabula, jam dudum explosa, & rursus eâ tempestate per utrumque Orbem disse-
minata. Verum ut suo cuique auctori & figulo sua signimenta attribuum, ope-
ræ pretium est fabulæ rotam revolvere, & ad terminum unde prodiiit re-
troagere.

CAPUT

II.
Societas re-
peteri ad
Urvaicam
auri falsò
accusatur.

*Calumnia
auctor.*

MULTIS retrò abhinc annis infimæ sortis homo Bonaventura Indus in portu
Boni-aëris partim arbitrio suo, partim in religioso conventu diu inter do-
mestica servitia educatus, ex animi inconstantia ad palabundos Ethnicos, & post
varios casus ad Japeiviensem Urvaicæ Neophytorum nostrorum coloniam se con-
tulit, unde simulatâ prius aliquandiu pietate, alterius conjugem ad libidinem rap-
tam abduxit. Sed è fuga retractus ad flagra, ne Neophytos exemplo corrumpere,
ad portum Boni-aëris postliminiò remissus est, ubi, nescio quo instigatore, tam

bellè